



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Avgvsti

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

citatis fama, ut qua pedes lauisset aquam, rex ipse Hormurij, religionis causa biberet. Sacrificio Missæ adolescentem quendam pene defunctum, à morte reuocauit. Alienata mente mulierem, & à dæmone obsessam, diui Ioannis Euangelio, corpori ipsius imposito, liberauit.

De eodem Gaspare multa exstant tum in suis, tum in aliorum epistolis Indicis. Nos pauca tantum ex Antonij Quadri litteris ex Goa scriptis subijciemus. Gasparus Flander, ait, cum priscis etiam sanctis committendus, perpetua laude vel hoc nomine dignus est, quod quadam sancta ac facili conuersatione, & morum suauitate, immensum populum ad Deum pertraxit. Ad hæc laborum eius, quos hic breui quidem, quo vixit tempore, pertulit, tantus est numerus, eaque magnitudo, ut illud Salomonis ei plane competere videatur. Consummatum in breui, expleuit tempora multa.

Sapient. 4.

a. De eodem Ioannes Viringus in epist. ad lectorem in diario Medicorum Molani ex Massæo lib. 14. hist. Indica. Estque eius vita nuper edita Antuerpia an. 1610. conscripta à R. P. Nicolao Trigault tribus libris, qui eum scribit obijisse die 18. Octobris 1553.

Prima die AVGVSTI.

De sancto Ionato abbate Marcianensi.

Ex monumentis loci.

MArcianis, depositio sancti IONATI abbatis. Qui eleuatus est sexto iduum Aprilis, tempore Iudith abbatissæ. Fuit autem discipulus sancti Amandi, & eius auctoritate primus abbas Marcianis, omni virtutum decore adornatus, exemplis & orationibus multos ad Christum adducens. Post cuius administrationem fuit is locus annis plus minus trecentis triginta tribus virginum monasterium quibus prima præfuit sanctissima Rictrudis. Est autem Marciana vel Marcena locus

locus amœnitate & pietate celebris, secundo miliari à Duaco in Flandriæ finibus, diœcesis Atrebatensis.

Quarta die Augusti.

De reliquijs sanctæ Walburgis virginis.

Ex monumentis Furnensium, & aliunde.

IN Germania, natalis sanctæ Walburgis sacre virginis. Huius autem & fratrum eius, sanctorum videlicet Wilibaldi & Wunibaldi reliquiæ, allatæ sunt ex Germania anno octingentesimo septuagesimo, per Flandriæ Comitem Balduinum Ferreum, & magno cum honore Furnis repositæ, instituto ad id monasterio ordinis sancti Benedicti, quod nunc est Canonicorum collegium diœcesis Iprensis. Quod autem ad sanctos attinet, Wilibaldus fuit per beatum Bonifacium Germanorum Apostolum institutus primus episcopus Aureatensis, siue Eistetensis. Beatus verò Wunibaldus & sancta Walburgis in eadem diœcesi in monastica vita laudabiliter præfuerunt, & obierunt. Vnde præcipua sanctæ Walburgis portio habetur Aichstadij, in monasterio quod ab ea nominatur, vbi hodie ex eius corpore oleum in subiectum argenteum vas miraculosè defluit, quod multis grauib; morbis medetur. Eleuata est inibi & sanctis ascripta, circa annum octingentesimum septuagesimum, per Odogerum episcopum Aichstadensem, consensu Adriani secundi: & ex Heldenheim, vbi primum fuit abbatissa, ad dictam urbem translata.

Meyer. 870.
de eius
translatione
1087.

Chronologia monas.
Germania.

*Filia regis erat; sed egenam se faciebat,
Diues ut in Christo regnaret semper in ipso.*

Huius

Huius etiam virginis memoriam Antuerpiensis ecclesia quater annuè celebrat, vigesima quinta Februarij, prima Maij, quarta Augusti, & duodecima Octobris.

Cuius causam Goropius colligit, quod Antuerpiantè Christianam religionem, numen Vvalburgis coluerint. Hinc suscepto Christianismo ad falsum numen oblitterandum, nomen falsæ deæ translatum esse in nomen sanctæ Walburgis, virginis Anglosaxonis.

Quinta Augusti.

1^o De S. Abele, archiepiscopo Rhemensis.

Ex informatione quam Lobys accepi, & rescripto domini Gentiani Herueti, Canonici Rhemensis.

*Flodoardus
Rhemis
Manuscr.
* lib. 2. c.
16 rectiss
chorepis.*

LAubijs, natalis sancti ABELIS Archiepiscopi Rhemensis, & confessoris. Hunc enim virum natione Scotum, vocat Lobiensis ecclesia archiepiscopum Rhemorum, & abbatem suum. Notat autem Flodoardus Canonicus, historiographus Rhemensis, sanctum Abel in ordine episcoporum sequi Rigobertum: quamvis quidam eum * coepiscopum tantum fuisse tradant. Addit præterea exstare chartas titulas nomine sancti Abel episcopi. Sed & fragmentum adfert epistolæ Zachariæ ad Bonifacium archiepiscopum Moguntinum, & per Gallias legatum Apostolicum, qua continetur dictum Pontificem trium metropolum episcopis pallia direxisse, ad suggestionem ipsius Bonifacij, & Carolomanni atque Pipini, principum Austrasiæ; Grimoni videlicet, Abel, & Harberto. Honeberto, qui sedes episcopales habebant, Rodonis, Rhemis, & Senonis. Denique citat Adriani ad Turpinum epistolam, qua

lam, qua continetur sanctum Abel archiepiscopum Rhemis eiectum esse, & ecclesie res multis annis per laicos diuisas fuisse. Quam persecutionem iam ante sub Rigoberto incepisse, constat ex altera eiusdem Pontificis epistola. Itaque expulsus beatus Abel honorifice susceptus est Lobijs, in regali monasterio, vbi ad infidelium conuersionem laborasse creditur, sicut alij eius loci episcopi, & abbates. Cumque dignitas eius esset archiepiscopalis, voluit etiam Lobiensis congregatio, tantum virum sibi præesse abbatem, siue coabbatem. Testantur enim eius loci Chronici libri, tunc temporis plures Lobijs fuisse simul abbates, Erminum, Abel, Vulgismum, & Amoluinum, quando propter coniunctam dignitatem episcopalem, sæpius ob infidelium conuersionem à monasterio abesse cogebantur. Cæterum beati Abelis historiam per Nordmannos intercidisse puto. Corpus verò sacrum, cum alijs Sanctorum corporibus, cumque clericorum siue Canonicorum collegio translatum est, anno millesimo quadringentesimo nono, ex Lobienti parochia, Binchium: quod est Hannoniæ oppidum, diœcesis Cameracensis, sed bellorum procellis valde attritum. Vtroque loco natalis celebratur die quinta Augusti. Fuit & alius sanctus Abel, à quo nomen accepit: is nempe, qui in initio mundi fuit pastor ouium, cuius iusti sanguis vsque nunc vindictam clamat. Sed noster Galliarum Abel nobiliores paut, Christi videlicet oues, eiusque exsilium etiamnum vindictam clamare non ambigimus.

In vita Rigoberti, 4. Ianuarij.

Genes. 31
Matth. 23.

2^o. De reliquijs sancti Oswaldi regis.

Ex Beda, & litteris Petri Walton capellj, Prioris ad
diuum Winocum.

Lib. 3. ca. 6.

IN Anglia, sancti Oswaldi regis, cuius actus commemorat venerabilis Beda presbyter, in gestis gentis Anglorum. Huius autem corpus, aut reliquiæ cum reliquijs beatæ Itisbergæ translatae sunt in diui Winoci cœnobium ab Adam Morinorum episcopo, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo. Vnde inter martyrum memorias annuè à Bergensibus legitur; *Duodecimo Calendas Iulij, gloriosa translatio sancti Oswaldi regis, & sanctæ Idabergæ virginis.*

Qua etiam occasione ibidem de beato Oswaldo extant vitæ liber, & Drogonis ex Bergensi monacho Morinorum episcopi duo sermones. Reliquiæ tamen sunt deperditæ per bella & vastationes Henrici Gallorum regis, præter minimam ossium partem.

Lib. 1. c. 77.

3^o. De Theodorico Cameracensi episcopo.

Ex chronicis episcoporum Cameracensium ad Gerardum scriptis.

Item Nonis Augusti, obitus Theodorici, episcopi Cameracensis. Qui spectatæ sanctitatis, & prophetiæ spiritu diuinitus illustratus, anno octingentesimo sexagesimo tertio ad laborum suorum remunerationem vocatus, diem clausit extremum: sepultusque est in monasterio sancti Auberti. Sed cum Otto primus Imperator, ex Cameraco postularet corpora Sanctorum, Gaugerici & Auberti, ut noua metropolis Magdeburgensis tantorum confessorum patrocinijs fulciretur, Fulbertus episcopus misit in feretris corpora dicti Theodorici, & alterius sacerdotis *,
additis

additis tantum articulis de petitis corporibus nè Camera- *Quidã Ro-*
cum suis patrocinijs fraudaretur, nève episcopus menda- *tardum di-*
cij culpam in se transfudisse videretur. Putatur autem pia *cant.*
Dei dispositione hoc contigisse, cùm Theodoricus hanc
remunerationem à Domino, & venerationem à populo
mereretur. Meminit huius episcopi Hincmarus, Rhemen-
sis antistes, in epistolis scriptis Immoni Nouiomensi epi-
scopo, Maioni Comiti, & ipsi Theodorico.

4^o. *Appendix de Ioanne episcopo.*
Ex Chronicis Cameracensium.

Lib. 1. c. 49.
Et seqq.

Ioannes porrò ex cantore aulæ regiæ, dicto
Theodorico in sede Cameracensi successit, an-
no octingentesimo sexagesimo sexto: & licet na-
talem non habeat, sanctus tamen dicitur, nam ad
sepulcrum frigoretici & diuersis ægritudinibus
occupati, sospitatem eius meritis sunt consecuti,
Sepultus est Cameraci ad sanctam Crucem, ibi-
demque à Gerardo decimo tertio suo successore,
condigno honore est leuatus. Scripsit porrò
Hincmarus archiepiscopus Rhemorum, ad hunc *Hincmarus*
virum sanctum plures literas Sed & vacante sede *manuscrip.*
per mortem Theodorici, cui tandem, expulso *Leodij ad*
Hilduino, Ioannes successit, multas scripsit litte- *S. Lauren-*
ras & Lothario imperatori, & Gunthario episco- *tium.*
po Coloniensi, pro canonica successione futuri
episcopi.

5^o. *Obitus Georgij iusti, in Bier-vliet.*
Ex catalogo Sanctorum Flandriae.

Eodem die, anno millesimo ducentesimo nonagesimo
octauo obitus Georgij iusti, linei panni mercatoris,
cuius memoria in benedictione est, & sepultura in ec-
clesia Bier-vlitensi.

Die

Die sexta Augusti.

De beato Schetzelone, qui & Gifflenus, eremita.

Ex Achardi narratione manuscripta, & ex parte impressa in Speculo exemplorum, dist. 3. cap. 30. Item lib. 3. de initio Cisterciensium, cap. 20. & litteris Iohannis Bertels Louaniensis, Prælati Lutemburgensis monasterij,

S Lebusfrodæ apud Coloniam Agrippinam memoria beati Gitzelini, qui inuocatur aduersus morbum pustularum & morbillorum, & in capella, vulgo dicta *Sint Gisse capelchin*, sub altari magnum fontem habet, languentibus salutarem. Pingitur cum galero pastorali, & duobus porcis. Fuit enim subulcus. Qui cum quodam tempore vellet visitare ecclesiam beatæ Mariæ Aquisgrani, fertur pecora sua Domino Iesu commendasse, eoque absente conuicaneos conspexisse aliquem qui in eius specie absentis vices suppleret. Sed hæc ad Coloniensem pertinent metropolim.

Fuit autem alius Gifflenus, quem Scetzelonem cognominarunt, cuius depositionis dies ignoratur, memoria tamen eius apud Lutemburgenses, Belgis annumeratos, nunquam desinet.

Hic siquidem, Achardo teste, seminudus, & brutorum esca utens, quatuordecim annis oberrauit, quatuor tamen annis postremis, rigorem propositi nonnihil relaxans. Beatus itaque Bernardus audita virtute conuersationis salutauit eum per Achardum monachum suum, qui multorum cœnobiolorum initiator fuit, & eo missus erat ut cœnobium constitueret, quod Claustrum dicitur. Cuius viri exemplum sæpe Achardus neophytis suis referebat. Imminente die dormitionis ad propinquam villam accessit, vbi percepto Cor-

pro Corpore Domini, lætantibus Angelis animam reddidit. Super corpus autem beatum, noua ecclesia est ædificata. Postea translatum est inde corpus ad nobile castrum Luxemburgum, & in ecclesia beatæ Mariæ tumulatum, vbi multis beneficijs & miraculis claruit. Et hæcenus ex libro de initio Cisterciensium. Cui quædam subiiciam quæ à Prælato Luxemburgensi accepi. Sic enim ad me scripsit. Monasterium nostrum in quo vir Dei requiescit, dirutum est, imo solo adæquatum ab annis triginta tribus. Interim audiui sæpius ab his qui monasterium inhabitauerunt, sæpiusque genua ante sepulchrum eremitæ flexerunt, qui proprio nomine Gisilenus dicebatur, & in maxima silua propè Luxemburgum habitauit, quæ idiomate Germanico *Gruenen-walt* appellatur, in qua fons pulcherrimus ex rupe exiit qui *Schetzelborn* vocatur, & quia apud hunc habitabat, à communi populo *Schetzel bruder* nominatur, à Latinis frater Schetzelo. Præter herbas & radices nihil comedebat: præter aquam non sciebat alium potum: præter cilicium non habebat aliam vestem. Hic dum multis annis Domino sic seruiisset, nemine præsentente obdormiuit in Domino. Cuius corpus adhuc requiescit in loco desolatæ ecclesiæ.

Septima die Augusti.

De S. Victricio episcopo Rhotomagensi.

Ex Paulino, Nolano episcopo.

IN Gallijs, ciuitate Rothomagensi, depositio sancti VICTRICII, præfatæ vrbis episcopi & confessoris. Qui claruit tempore Innocentij primi. Huius enim exstat ad eum decretalis epistola secunda. Estque præsentî libro inferendus, quia sanctus Paulinus Nolæ episcopus, in secunda ad eum epistola, refert quid Belgio nostro præstiterit. Initio Cæsari militabat, & castrensi labore robur corporis exercebat, sed repente

Ex S. Paulino.

Y

pen-

Augusti 7.

NATALES

penite conuersus, obstupefacto exercitu, ante pedes sacrilegi tribuni, militiae sacramenta permutauit: arma sanguinis abiecit, vt arma pacis indueret. Et ob hoc districtus est in verbera, & vastis fustibus fractus, nec tamé victus, quia Crucis ligno innitebatur; geminataque mox pœna acuto testarum fragmine laniata sunt membra immanibus plagis. Denique inuicti militis ceruicem dum carnifex attingendi temeritate violat, excussis ilico oculis, cœcitate percussus est. Sed idcirco vnus cœcatus est, vt plures illuminarentur: inter quos Comes, qui respersus gratia Domini, dum testes fidei punire cupiebat, testimonium perhibuit veritati: & quos saeuens prædamnarat vt reos, laudans emisit vt sanctos. Quid miremur sanctum Victricium, postmodum tam potentem meritorum, tam diuitem gratiarum, cum hoc fuerit ei virtutum in Christo rudimentum, quod longorum laborum paucis consummatio est? Gratia Dei postea in præparationem Euangelicæ pacis calceatur, & nè sub modio taciturnitatis latitaret, Apostolicæ Sedis euectu, quasi super candelabrum sublime in Rothomago constituitur. Quod tunc in longinquis etiam prouincijs inter vrbes sacratis locis nobiles, cum diuina laude numeratum est. Sed præterea per sanctum Victricium sanctificatum est nomen Christi in remotissimo Neruici littoris tractu, quem tenui antea spiritu fides veritatis afflauerat, & in terra Morinorum, situ orbis extrema, quam fluctibus fremens tundit Oceanus. Sedebant gentium populi, via maris arenosa, in regione vmbre mortis: deserta siluarum & littorum barbari & incolæ latrones frequentabant: verum prædicatione beatissimi Victricij à Domino lucem magnam

gnam acceperunt: ipsæque vrbes, oppida, insulæ, ecclesijs & monasterijs, plebe numerosis, venerabiliter celebrabantur. Est autem Morinorum terra, ex magna parte in Belgio, cuius primaria vrbs fuit sub rege Francorum Teruana, à Carolo quinto deleta. Neruiorum verò prima vrbs est Tornacus, in qua fidem Christi antea prædicarat Piaton, eamque post sancti præsules Victricius & Eleutherius propagarunt, ac dilatarunt, per dictum Neruicum tractum, quem constat latissimum fuisse.

Vndecima Augusti.

De sancto Gaugerico, episcopo Cameraci.

Ex historia tomo quarto Suriy, & informatione à Cameracensibus & Inodiensibus accepta.

IN ciuitate Cameraco, sancti GAVGERICI, episcopi & confessoris, qui & vitæ sanctitate conspicuus exstitit, & clarus miraculis, in pace quieuit. Hic ortus est parentibus ingenuis & catholicis in Euosio Galliarum castro Vbi dum primis literis imbuebatur, tirocinij sui tempus in emeritam ætatem transtulisse videbatur. Quare Magnericus sanctus episcopus Treuitorum, præclaræ indolis puerum totondit, & totum psalterium ediscere fecit, & postea ad Leuiticum sublimauit ministerium. Cumque obuium haberet paganum hominem leprosum, ad baptismi gratiam eum perduxit, & vndis salutaribus ab vtraque lepra, animæ & cutis emundauit. In crescente autem beati viri fama, mortuo Vedulpho Cameracensi episcopo, clerus & populus,

Augusti 7.

NATALES

pari voluntate, leuitam Gaugericum postularunt. Ordinatus igitur episcopus, per annos plūs minus triginta nouem prædicatione pluebat, miraculis coruscabat, bonis operibus perpetuò intendebat. Complures quoque noxios de manibus iudicum diuinitus liberabat per preces. Quibus peractis, plenus dierum in pace sanctæ Ecclesiæ quieuit, anno quingentesimo nonagesimo quarto, tertio die Iduum Augusti. Quo die natalis eius ab Vsuardo & alijs notatur, & historia à Surio ponitur. Sepultus est apud Cameracum in basilica, quæ ab ipso in montis vertice ad honorem sancti Medardi erat exstructa; sed ibi Carolus quintus Imperator exstruxit castrum siue cittedellam, vt loquuntur. Vnde Canonici sancti Gaugerici, cum cogerentur templum suum deserere, receperunt se in parochialem ecclesiam sancti Vedasti; vbi in magnifico choro, quem exstruxerunt, corpus sancti Gaugerici reposuerunt. Atque ita ecclesia sancti Vedasti, dicitur etiam ecclesia sancti Gaugerici. Est præterea vetustissimum templum in palatina vrbe Bruxella, ad eius honorem consecratum. Cæterum * Euosium Galliarum castrum, nunc Iuodium dicitur, Lutzenburgensis ducatus oppidum. Cuius Canonici, præter sancti sui Gaugerici vitæ historiam, dono Cameracensium habuerunt vsque ad vltimam Galliarum vastationem, cum certa societate, iuncturam digiti vnus, solenniter ad modum brachij ornatam.

* Gallicè
Iuois.

Capit. 610.

Ex his apparet quàm turpiter & multipliciter labantur Centuriatores Magdeburgenses, qui centuria secunda ponunt sanctum Gaugericum, Taurini Eboracensis episcopi fratrem, episcopum Cameracensem, antea discipulum Dionysij, cum beatus Gaugericus sæculis aliquot sit, posterior

sterior Taurino episcopo Ebroicensi. Ideoque rectius Gaugericum repetunt, & ponunt centuria sexta, ex Sigeberto.

Die decima tertia Augusti.

De sancto Vuigberto martyre.

Ex Beda & Marcellino.

IN Fostelandia, passio S. Wigberti martyris. *Beda lib 5, historiarum cap. 10.*
 Qui cum esset de socijs Egberti, contemptu mundi, & doctrinæ scientia insignis (nam multis annis in Hybernia peregrinus, anachoreticam, in magna perfectione, vitam egerat) ascendit nauim & in Frisiam perueniens, duobus annis continuis genti illi, ac Regi illius Radbodo, verbum salutis prædicabat. Sed nullum tanti laboris fructum apud barbaros inueniens auditores, reuersus est ad locum dilectæ peregrinationis. Cum autem vir Domini Egbertus secundo misit ad Frisonum & Saxonum, à quibus Angli sunt propagati, conuersionem viros actione & eruditione præclaros, Vuillibrordo & alijs adiunxit dictum Voigbertum. Hic autem à rege Radbodo, quem illustris Pipinus à Traiecto expulerat, in Fostelandia, diro tormento est iugulatus, eo quod Christiani eo loci ipsius suggestione delubra Iouis & Fostæ destruxerant. Fuit autem Fostelandia, seu *Fosetes-landi*, insula in ipso Frisonum & Danorum confinio constituta: quam etiam sanctus Ludgerus sua prædicatione *Vuerdenen-* illustrauit. Natalis eius an alicubi celebretur, me later: a *ses vna* recentioribus tamen notatur Idibus Augusti. Fuit & posterior Vuigbertus, quem Bonifacius Hersveldiæ præfecit. *Ludg c. 5.*
 Cuius natalis pridie in Martyrologijs est notatus.

Decima quarta Augusti.
De sancto Vuerenfrido confessore, in
Elst.

Ex historia in Traiectensi bibliotheca descripta &
fide incolarum.

IN vico qui dicitur *Elste*, natalis sancti **W**E-
RENFRIDI, presbyteri & confessoris. Qui
cum B. Willibrordo venit Traiectum, & primum
egregiè sparsum, verbum Dei prædicauit, sed po-
tissimum apud *Medenblick*, & in Durenstadio;
Postmodum verò dictus episcopus Willibrordus
in medio insulæ *Batua*, quæ Rheni fluminis al-
ueo circumcingitur, locum ei *Elste* commendauit.
Sed & ecclesiã, in villa *Wester-voert*, gubernan-
dam suscepit. Cumque populum his duobus in
locis ad fidem conuertisset, infinitis clarificatus
miraculis, tam in vita quàm in morte, apud præ-
nominatum vicum *Wester-voert*, in pace quieuit,
sed miraculosè in *Elst* est tumulatus; vbi de morbi
articularis remedijs frequentatur, in sui nomi-
nis collegiata ecclesia. Habet quoque in vsu Tra-
iectensi festum duplex, in præiugilio assumptionis
Deiparæ Virginis. Cernitur ibidem eius imago,
ad ædes quas Canonicus inhabitasse fertur, nitidè
depicta. *Wester-voert* est ex opposito Arnhemii ex-
tra *Batua*. * *Elste* autem in *Batua* ad mediam
viam inter primas Geldriæ vbes, *Numagam*, siue
Neomagum & *Arnhemum*. Quod *Carolus Mar-*
tellus Willibrordo donauit. Legitur enim in pa-
gina traditionis, *Carolus maior* domus, pro re-
medio animæ suæ tradisse Willibrordo episcopo
in pago

Videlicet in
Geldria.

Apud He-
rens.

in pago Batua villam iuris sui *Eliste* nuncupatam, quæ alio nomine *Marichaim* vocatur, & quicquid in ea Euerardus regi Childeberto infidelis possederat.

Decima sexta Augusti.

1^o. De sancto *Arnulpho Christophoro*,
episcopo *Suessionum*.

Ex Lisiardi libris, & Aldenburghensium instructione.

Aldenburgi, depositio sancti ARNULPHI episcopi *Suessionum*, & confessoris. Hic patrem habuit *Fulbertum*, habitantem circa *Scaldem*, in villa *Tidinghem*; matrem verò ex nobili prosapia Comitum, *Louaniensium* videlicet, *Namurcensium*, *Losnensium*, & *Montensium*. Quæ per visionem didicit se puerum gestare, qui verbis & factis *Christum* ferret: ideoque *Christophorus* erat vocandus. Cæterum susceptor, *Arnulphus Aldenardensis*, voluit à se puerum *Arnulphum* dici. Mater autem memor diuinæ sponsonis, puerulum à patrino nuncupatum *Arnulphum* utroque nomine appellauit, *Arnulphum* videlicet *Christophorum*. Cumque in adulta ætate militiæ cingulum & insignia accepisset, multas *Brabantinas* ac *Flandrenses* lites sua prudentia sæpe diremit. Sed miles præpotens ac nominatus, quem tota sæculi gloria sequebatur, pertæsus secularis militiæ, migravit ad sancti *Medardi* ecclesiam, iuxta muros *Suessionicæ* ciuitatis; vbi clarebat monachus *Eremboldus Flander*, causa amoris *Dei* inclusus, duram agens pœnitentiam, diuinæ contemplationi perpetuò inhærens. Cui

Y 4

beatus

Augusti 16.

N A T A L E S

beatus Arnulphus sollicitè inserviebat, vt ex longa familiaritate, religiosè viuendi ab illo exempla hauriret. Multi autem ex Brabantia & Flandria, tam clerici, quam laici, ad sacrum beati Medardi monasterium aduolarunt, quod illic ordo monasticus floreret, eosque venerandi alumni eius, beati Arnulphi, amor, mirificè attraheret. Sed defuncto Rainaldo, sub quo monachorum congregatio refulgebat, Pontius quidam pseudomonachus, secundum Simoniam, à Philippo rege nomen & sedem abbatis adeptus est. Qui cum omnia destrueret, nec corpora martyrum & confessorum ibi consistentia, reuereretur, electus est Arnulphus, vt nolens extrudendo, succederet. Super quo, intercedentibus primarijs loci, & inter eos episcopo Sueffionum, maiestatis Regiæ clementiam obtinuerunt. Similiter etiam nolens, Ursioni pseudoepiscopo Sueffionis successit, per canonicam electionem, & cogente eum Romani pontificis Apostolica auctoritate, renuente interim curiæ Francorum publica sententia. Cumque sedem alius occupasset, non ecclesiæ iure, sed palatij fauore, sciens quod non sedes episcopum, sed episcopus sedem faciat, resedit in castello Vlciacensi, eiusdem diocesis. Ad hunc autem pontificatum promotus, pacis minister, pro pacis redintegratione, Apostolica auctoritate in Flandriam redijt. Ibi in Insula ciuitate, Roberto Comiti, habens Apostolicas literas, quosdam ab eo proscriptos reconciliauit, qui pertæsi onerum, quibus ab illo pressi erant, inter se tractarant, vt illo profligato humaniorem principem assciscerent. Composuit etiam atroces & mutuas cædes, Brugis, Turolti,

rolti, Furnæ, Aldenburgi, Præterea in dicto
Aldenburg per manus Radbodi episcopi, * eccle- * *cornacens-*
 siam sancti Petri & omnium Apostolorum, olim *sis.*
 à sancto Vrsimaro constructam, vsibus Abbatia
 aptandam suscepit: tandemque in eodem mona-
 sterio, iteratò à Suessione in Flandriam rediens, &
 finem vitæ accepit in solennitate Assumptionis Dei-
 paræ Virginis, & corporis sui sepulturam in nata-
 li sancti Arnulphi Metensis episcopi, anno mille-
 simo octuagesimo septimo. Multum claruit pro-
 phetia dono, & miraculis, Quæ tot fuerunt post
 mortem, vt ijs motus Lambertus episcopus, cum
 aliquot abbatibus, corpus sacrum ceu reuera san-
 ctum, iuxta morem Gallicanæ ecclesiæ de terra
 leuauerit & reposuerit, præhabita tamen authori-
 tate, tam Concilij Beluacensis, quod miracula ex-
 aminauerat, quam reuerendi domini Cononis,
 qui erat legatus Apostolicæ Sedis. De qua tran-
 slatione habent Martyrologia ecclesiæ ipsius Ca-
 lendis Maij. In Flandria, vico *Aldenburg* eleuatio
 sancti Arnulphi, episcopi & confessoris, quæ fa-
 cta est anno Domini millesimo centesimo vigesi-
 mo primo, indictione decima tertia.

Sed fusior est beati Arnulphi vita, à Lisardo tertio eius *Lisardus*
 successore descripta, quam vt comprehensim tota hîc *15. August.*
 poni possit. Familiare est autem matronis sterilibus, &
 grauidis, hunc sanctum præsulem, pro foelici partu inuo-
 care. Est portò Arnulphus Flandricè *Arnout*, sed Al-
 denardenses dicunt Latinè Arnoldum, & Flandricè cum
 grata sibi aspiratione *Harout*. Posterius Latinum no-
 men Trithemius refert ad morem Germanicum. Ad fa-
 miliam Pameliorum eum pertinere, notissimum est ex
 gentilitijs armis, & aliunde. Sed putatur Lisardus scri-
 ptor Gallus eum male vocare Brabantum. Quamuis enim
 territorium Alostanum, quod Scaldis disternat, Braban-
 tiæ soleat annumerari. *Tidinghem* tamen, quæ nunc

*In Bhroni-
 cis Hirsau-
 gia.*

Augusti 16.

NATALES

vocatur *Tighem*, natale eius solum, est extra ditionem Alostanam, citra Scaldim duobus miliaribus ab Aldenardo. Cui loco abbas Auianus anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo reliquias aliquas beati Arnulphi contulit, ut præfulem exinde oriundum ardentius honorarent. Quod porro ad Aldenburgensem diui Petri ecclesiam attinet, à sancto Vrsmaro extractam, obtinebat Conon eam in rationem beneficij, sed suggerente Hasecca coniuge sua, resignavit, & à Radbodo, episcopo, Arnulpho episcopo est collata, qui eo loci monasterium construxit, cuius primus abbas fuit alius Arnulphus, eius ex sorore nepos: secundus, dominus Geruius, qui in Vuasia eremita obiit, de cuius sanctitate dictum est decimo quinto Calendas Maij. Tertius fuit Arnulphus, qui sancti Arnulphi corpus anno trigesimo quarto depositionis leuari curauit, & legitimè defendit ecclesiam sibi commissam, contra abbatem sancti Medardi, qui eam sibi in Prioratum erigere nitebatur. Scripsit etiam ad Vuilhelmum Dorouernensem archiepiscopum de miraculis sancti Petri in *Aldenburg*, & de vita beati Geruini. Quod scriptum Aldenburgi asseruatur cum Missali & Pontificali, quibus diuus Arnulphus uti solet. ^b

a. Meierus ponit Anno Christi 1143.

b. De Arnulpho Suefionensi agit Sigeb. in chron. an. 1080. & 1087. Meierus 1083. & 1087. Arnoldus Wion in suo martyrol. monast. ad hunc diem & lib. 2. ligni vitæ c. 53. eumque ait fuisse patria Aldenardensem, & ab eo superesse nobilem familiam Pamelensium.

Appendix, de fame mortuo.

Anno 1062.

NOtatur etiam in annalibus Flandriæ, viuente Arnulpho, tempore grauissimæ famis, dum multi panis causa Aldenburgum confluerent, deprehensum vnum, summo mane, fame mortuum, & pro eo dum sepeliretur, cum Godobertus sacerdos pulsari nollet, quod ignotus esset, campanas vltro sonuisse.

2. De

2^o. De sancto Arnulpho episc.
Metarum. ^a

Ex diuersis Franciæ, & Lotharingia scriptoribus.

Metis, sancti ARNULPHI, episcopi & confessoris, qui sanctitate vitæ & miraculorum gloria illustris, eremiticam vitam diligens, beato sine quieuit. Hic præsul præsentis loco non est omittendus, quatenus Belgium concernit. Parentem enim habuit Arnulphum, qui inter cæteras dignitates Marchio fuit limitis Antuerpiensis. Tres habuit ex coniuge sua ante episcopatum proles. Primam, Anchisum, siue Ansegisum, Marchionem Antuerpiensem, qui vxorem habuit sanctam Beggam, filiam Pipini primi, per quam ei Brabantia Ducatus obtigit. Secundam, Vualagisum, cuius filius est sanctus Vuandresilus, fundator Fontanellæ, qui Gandavi quiescit. Tertiam, sanctum Clodulphum, qui patri in episcopatu successit. Sub quo sanctus Trudo Hasbanus, a deo in moribus, eruditione & pietate profecit, vt eum sacerdotem ordinarit, & ad verbum Dei seminandum, in Hasbaniam remiserit. Cæterum vtriusque Austrasiæ negotia non tantum tractauit beatus Arnulphus in palatij magisterio existens, sed etiam populorum acclamatione ad episcopatus officium euocatus. Pipinus enim dux glorio-
Pipinus primus.
sus regiam Austrasiæ domum, & suam inferiorem Austrasiam gubernans, beatum pontificem omnium consiliorum & negotiorum consciuum esse voluit, nè in yllo contra diuinæ iustitiæ normam regia potestate abuteretur.

Reliqua

Augusti 17.

NATALES

Reliqua quæ de hoc præfule scripta sunt per eius familiarem amicum, tum etiam per Paulum diaconum, exstant tomo quarto historiarum Surij, ad diem decimam sextam Augusti.

a. Inter 12. scriptores coætaneos à Petro Pirtheo editos est genealogia B. Arnulphi Merensis episcopi.

Decima septima Augusti.

1^o. De sancto Ierone, martyre Hollandiæ.

Ex historia qua fuit Egmonda manu-scripta.

EGmondæ, natalis sancti IERONIS, presbyteri & martyris. Qui genere Scotus, ac nobilitate insignis, cum esset parentibus suis vnicus, nequaquam mundi illecebris detineri potuit, sed Dei famulis se iungens, vniuscuiusque sectabatur virtutes. Cumque ad presbyterij gradum suo merito conscendisset, multos in Frisiæ partibus à diuersis erroribus auertit ac liberauit. Demum, prout optauerat, calicem passionis bibit. Sub persecutione enim Danorum & Nordmannorum ad tribunal protractus, post flagella & carcerem, reliquasque iniurias, ense martyrium consummauit. Caput eius est in *Nordwijck*, loco martyrij: corpus paulo post per diocesenum episcopum, & Theodoricum secundum Comitem Hollandiæ, accedentibus miraculis translatum est Egmondam in sancti Adalberti monasterium, præmisso ex more triduo ieiunio.

Loca autem sunt diœcesis Harlemensis in Hollandia. In historia annumerantur Frisiæ, cum enim ea scriberetur, Hollandiæ nomen nondum innotuerat. Festum valde norum est Hollandis:
multi

multi enim eius beneficio res suas deperditas recuperarunt. Vnde versus exstat :

Rebus in amissis Ieron sapissime fulgee.

Literati autem aliqui in suis carminibus eum Hieronem appellare malunt.

2^o. *De Carolomanno, principe Austrasiae, filio Caroli Martelli Ducis Brabantiae.*

Ex Reginone, Leone Cardinali Ostiensi, Pontificali, Sigeberto, Adone, Viennensi, Volaterrano, & Sigonio.

IN Gallia, ciuitate Vienna, obitus Carolomanni, illustris Principis. Qui pro amore Dei regnum terrenum deseruit, vt in futura vita centuplicatam reciperet possessionem. Pipino enim fratri regnum Franciae reliquit, ac Romam ad Zachariam Pontificem, cum honestissimo Francorum comitatu concessit, multaque eximia dona beato Petro Apostolo contulit. Et a dicto sancto Pontifice clericatus iugum suscepit. Ex mox in monte Soracte monasterium sibi condidit, idque sancto Syluestro dicauit, quod ibi latuisse sanctus Pontifex miserimis suis temporibus, diceretur. Offendit autem Carolomannum eo loci assidua Francorum praetereuntium, & ad se, tanquam ad dominum adeuntium, turba: quodque propter contemtum regni terreni laudibus extolleretur. Vnde cum fido socio se Cassinum recepit, ac rigida se sancti Benedicti disciplina deninxit. Cui in eodem proposito sese adiunxit Rachis rex Longobardorum. De quo Leo Ostiensis in historia Cassinensi. Accidit vt Carolomannus hebdomadarius, ad coquinae officium deputaretur, cumque in multis ignoranter offenderet, coquus vino exaestuans, ter ei alapam dedit. Quae ille placido vultu pertulit. Sed ab indiuiduo comite indignante, dignitas eius prodita est, & deinceps cum magna reuerentia est obseruatus. Quamquam autem mundum reliquisset, inuitus tamen profectus est ad fratrem suum Pipinum, ad dissuadendum expeditionem belli Longobardici.

Neque

Augusti 20.

N A T A L E S

Annales
Pipini an-
no 755.

Neque enim ipse abbas sui iussa detractare, neque abbas aut Rachis monachi preces repudiare, aut Aistulphi fratris eius, regis, imperium ausus est recusare. Hic, relatione de bello facta, summo studio causam Longobardi, sed iniquis omnium auribus, egit, ac non multo post in Viennensi monasterio diem clausit extremum. Cuius corpus iussu regis ad monasterium sancti Benedicti, in quo monasticum habitum susceperat, relatum est.

Reg. anno
870.

Addit Volaterranus lib. 2. eum in Cassino iussu greges loci pavisse: ea propter iure inter beatos connumerari. Quo etiam pertinet, quod ibidem asserat Cardinalem Arragonensem ante hos annos tres arcas aperuisse, in quibus erant Benedictus, soror, & Carolomannus monachus, Caroli Magni patruus.

Longè autem ab huius pietate abfuit eiusdem stirpis posterior Carolomannus, quem Regino scribit à patre Carolo oculis priuatum, propter multa mala quæ perpetrabat: & ab auunculo suo Ludouico Augusto, Epternacum, sancti Willebrordi monasterium, ad subsidium vitæ acquisiuisse.

Vigesima die Augusti.

1^o. *Quid Belgis sanctus abbas Bernardus præstiterit.*

Ex vita scriptoribus, & Belgarum historicis.

IN territorio Lingonensi, depositio beati Bernardi, primi Claræ-vallis abbatis, viri vitæ, doctrinæ, & miraculis, gloriosi. Huius inter Belgicos sanctos ingerenda est mentio, eo quod Belgium singulariter exornarit, miraculis, prædicatione & monasterijs. Intra Leodiensium fines, præter innumera miracula, in oppido Fontanis, eiusdem cum

cum patria sua nomenclaturæ, cæco claritatem præstitit, cuius palpebræ clausæ erant, & emortuæ. Cameraci celebrans Missarum solennia, surdo auditum, & muto loquelam restituit. Cùm autem in Brabantia, & alijs in locis, ex præcepto Eugenij tertij, Crucem prædicaret contra Saracenos & Turcas, Brabantis religiosos aliquot penitentibus ex Clara-valle, quibus monasterium construerent, dedit duodecim monachos, & quinque conuersos, cum abbate Laurentio, viro religioso. Qui constructo oratorio & monasterio, quieuerunt in Villario, anno millesimo centesimo quadragesimo sexto. Creuitque dicta abbatia multum in religione, & possessionibus. Genuit etiam de se duas alias, Grande pratum in Comitatu Namurcensi, & sancti Bernardi ad Scaldim. * Sed & in Flandria cùm prædicaret, inquit Gaufridus Claræ-vallensis, multi nobiles, multi sapientes & literati viri sub ipsius magisterio sacram professi sunt seruitutem. Inter quos primus videbatur Gaufridus ille de Perona, qui postea in Clara-valle Prioris officio functus est, & defunctus in eo. Celebris est etiam memoria inter initia ordinis Cistertiensis viri illustris Arnulphi de Maiorca, quem Bernadus è Flandria de sæculi fluctibus ad littus conuersionis, Clarævallem attraxit. In Marisco Theodoricus & Sibylla Flandriæ Comites monasterium ædificauerunt, quod beato Bernardo obtulerunt. Nominauit autem illud Claromarsicum, & ex Clara-valle primum abbatem præfecit Gaufridum. Dunensibus verò apud Furnas, qui ipso adueniente sponte ordinem Cistertiensem assumerunt, abbatem dedit dominum Robertum Brugensem *, virum celeberrimæ sanctitatis.

*Vitalib. 4.
capite 4.*

*Ex chron.
Villaria.*

** Apud Am
tverpiam.
Vita lib. 4.
cap. 3.*

*In Speculo
exemplorū
dist. 3 c. 26.*

Augusti 20.

NATALES

Cui scribit
epist. 336.

ES 137.

Massens li-
bro 16.

Epist. 185.

Guilielmus
lib. 2 cap. 2.

tatis, quem moriens sibi successorem in Clara-
valle cōstituit. In Vallis-cellam, quæ est celeberrimum monasterium apud Cameracum, abbatem Radulphum & cœtum fratrum adduxit, quorum meminit in epistola ad Simonem, filium castellani Cameracensis. Eoque in loco multi sanctitate claruerunt, ut constat ex libro Apum & aliunde. Ex Tornaco discipulum accepit virum eruditione ac sanctitate clarum Guarricum, abbatem postea Igniacensem. Is enim, ut ex monumentis Tornacensium animaduerti, antea fuerat & Canonicus & lector scholarum sanctæ Mariæ ecclesiæ Tornacensis. Post mortem autem beati Roberti successit apud Claræ-vallenses ex Cambro-na Hannoniæ monasterio, beatus abbas Fastredus. Cæterum cum præsentem Innocentio secundo, iterum Leodij per regem Romanorum recrudesceret questio de episcoporum inuestitura, abbas sanctus mirum se opposuit, & verbum malignum regis mira libertate & auctoritate redarguit & compescuit. Obijt sanctissimus & mellifluus Doctor anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, abbas Claræ-vallensis, pater verò amplius quam centum & sexaginta monasteriorum.^b

a. Lotharium successorem Henrici quinti.

b. Præter hæc, Tornacenses intercessore S. Bernardo ab Eugenio tertio impetrauerunt proprium episcopum: quo caruerant annos ferè sexcentos. Superius, 20. Febr. Infra, Chronica recapitulationis c. 5.

2. De

2^o. De B. Burchardo episc. Vuor-
matiensi.

Ex Sigeberto, & aliunde.

V Vormatiæ, obitus Burchardi episcopi.

Qui à Gratiano Brocardus nominatur.

Fuit patria Hellsus, primum monachus Labacensis, se-
cundum catalogum episcoporum. Sed emendandum est
Laubacensis. Fuit enim Laubaci siue Lobij, monachus &
discipulus Olberti, postea quarti abbatis Gemblacensis.
Sigebertus enim historicus Gemblacensis scribit, ipsum
magnum illud Canonum volumen edidisse, collaborante
sibi magistro suo Olberto abbate, viro vndeunque do-
ctissimo. Itaque in Belgio glaciem scidit suis sequacibus,
Iuoni & Gratiano. Fuit autem vitæ scriptor Alemanus:
vnde non miror eum de Lobienſi cœnobio filere, & tan-
tum generatim dicere, quod per diuersa loca, studij causa,
sit directus. Porrò sicut ex Decreto eruditio eius agnosci-
tur, sic adiuncta vitæ historia, ad quam Lectorem remitti-
mus, sanctitatem declarat. Obijt anno millesimo vigesimo
quinto.

Dist. 73.

An. 1008.

3^o. De Gerardo magno, Dauentriensi.

Ex historia Thoma Kempensis, & libro de exordio
& progressu Windeshemensium.

D Auentriæ, obitus beati Gerardi, cognomen-
to Magni, qui initium dedit fratribus bonæ
voluntatis, in communi viuentibus

Hic etsi sanctis non sit ascriptus, perpetua tamen me-
moriam dignus est, quod cum diaconus per Traiectensis
diœcelis vires prædicaret, multosque ad pietatem trahe-
ret, Dauentriæ scriptores habuerit, qui Patrum libros, cõ-
digno pretio describebant: & ex iisdem ibidem instituit
clericorum, seu fratrum bonæ voluntatis congregationem,
qui citra^a professionem in communi viuunt ex labore ma-
nuum. Eius autem discipulus Florentius, iuxta petitionem
morientis Gerardi, instituit monasterium Regularium in

Z

Windes-

Augusti 22.

NATALES

Windeshem. Et ab huiusmodi initijs innumera vtriusque sexus monasteria & congregationes circumquaque sunt propagata. Obijt Gerardus in die sancti Bernardi, anno millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, & ab eo Gerardi nomen Hollandis vsitatissimum esse puto. Florentius verò die vigesima quinta Martij Vtriusque vita edita est à venerabili Thoma Kempensi, in cuius operibus omnibus est obuia.

a *Badius Vita Thoma Kempensis c. 9.*

4^o. *De Goberto Comite, monacho
Villariensi.*

Ex informatione, quam Villaria accepi.

Villariae, obitus Goberti, Comitis Asperimontis. Qui contra nobilitate in Villaria professus est monasticam religionem, vbi & honorificam habet sepulturam: & vitæ historiam libris tribus conscriptam. Sed non est ab ecclesia Sanctis ascriptus: vt nec aliquot alij, qui in eodem monasterio sanctitate claruerunt: quorum veneranda ossa simul sunt collocata. Gobertus tamen cubat seorsim in tumba.

a *De quibus 30. Iunij. Vide Cantiprat. lib. 2. Apum c. 26. parte 6.*

Vigesima secunda Augusti.

*De allatione sancti Mauri, martyris
Rhemensis, ad Florinenses.*

Ex Martyrologio Florinensi, litteris Arnulphi episcopi Rhemensis, & informatione Martini Remocampij, Prælati Florinensis.

VNdecimo Calendas Septembris, natalis sancti Mauri martyris. Qui à Roma cum beato Timotheo Rhemos veniens, postquam verbum Dei ibidem disseminans, Apollinarem cum alijs pluribus baptizasset, à Lampadio præside cum

eum socijs sanctis³ quos baptizauerat, decollatus est. Item die sequenti Rhemis, Timothei martyris. Qui ibi tempore Neronis verbum Dei prædicauit, & à Lampadio præside comprehensus, multa passus est tormenta. Dum autem quadam die torqueretur, vnus ex cædentibus, nomine Apollinaris, vidit duos Angelos plagas illius extergentes. Qui mox territus atque compunctus credidit. In ipsa verò nocte beatus Timotheus, conuocato Mauro presbytero, sacro eum fonte fecit purificari. Quod vbi audiuit Lampadius præfectus, iussit eos verberibus affici, plagasque eorum calce & aceto aspergi, plumbumque bulliens in ora eorum demergi. Dum verò immobiles perstitissent, & nomen Domini amplius laudassent, extra murum ducti, capitalem susceperunt sententiam. De translatione pauca tantum leguntur tertio Nonas Nouembris. In vico Florinensi, exceptio corporis sancti Mauri, egregij martyris. Sed hæc latius explicanda est, eo quod martyr Florinis celeberrimam habeat memoriam, & frequenti offerentium concursu, ex Gallia, & alijs orbis partibus honoretur. Arnulphus itaque de Ruminiano construxit ecclesiam parochialem & collegialem sancti Gengulphi martyris, in oppido suo Florinensi. Cuius filij Godefridus & Gerardus, in eodem patrimonio apud Florinas, monasterium sancti Ioannis Baptistæ perfecerunt. Ex his Gerardus Canonicus fuit Rhemensis, & Sacellanus Henrici Imperatoris, & postea eo dante, episcopus Cameracensis. Ex quibus clarius intelliguntur, quæ ad Baldricum episcopum Leodiensem scribit Arnulphus archiepiscopus Rhemensis cum suo clero. Fecimus, ait, cum proximo

Augusti 24.

NATALES

nostro Gerardo Arnulphi filio, quod charitas monet, & conuicti eius precibus pro voto petitionis contulimus talentum pretiosissimi ponderis, corpus domini ac Deo dignissimi presbyteri & martyris Mauri: qui ab Apostolis veniens, Rhemensis nouiter fundatæ ecclesiæ columna fuit. Et tanto libentius id fieri decreuimus, quanto Nodgeri antecessoris vestri sanctæ memoriæ erga huiusmodi rem beneuolentiam nouimus: & quod eo amplius locus Florinensis Deo donante augetur, sicut oculis ipsi comprobauimus. Vestro igitur consilio & adiutorio, honorificè in vestro suscipiatur episcopio: & hunc apud iustum iudicem patronum habeatis, & defensorem. Cæterum nè sedes episcopalis patrocinio tanti frustretur patroni, caput prædicti martyris, in eburnea theca reconditum reseruauimus. Pro quo aliud, eorum qui cum eo passi sunt, mittere dignum duximus, Timothei videlicet: eius enim expressa mentio est in officio monasterij Florinensis.

a. Nempe quinquaginta. De his videatur Flodoard. lib. 1. Remensis ecclesia cap. 4.

Vigesima quarta Augusti.

1^o De Theodorico abbate, ad S. Hubertū.

Ex rescripto ad me missō per Reuerendum Prælatum diui Huberti.

ANdains in Arduenna, obitus beati Theodorici abbatis, qui decimo ætatis anno sancto Petro Lobijs est oblatus.

Hic viuus & defunctus, multis virtutibus & signis clauit, & ad Dominum transit anno millesimo octuagesimo quarto, ætatis octuagesimo, professionis monasticæ quinquagesimo

quagesimo nono: regiminis abbatialis trigesimo tertio. Nec dubitatur, quin numero sanctorum sit aggregatus, tamen ab Ecclesia in eorum catalogum non sit relatus. Corpus miraculis gloriosum, ex humo leuatum, & in medium ecclesie fuit translatum: Hugonistarum autem inamantate, in cineres & fauillas est redactum.

2^o. De beato Sandrado in Gladbach.

Ex fundatione monasterij sancti Viti in Gladbach, cuius relatores sunt, Henricus abbas, eiusque auunculus Vuolfshelmus abbas Brunvilerensis, antea Gladbachensis, & ex Chronico Hirsaugia.

IN Gladbach, obitus beati Sandradi, primi abbat. Cùm enim Gero archiepiscopus Colonienfis diuinam accepisset monitionem, de construendo monasterio beati Viti, euocauit ex cœnobio sancti Maximini sanctum virum Sandradum, cui locum inquirendum commisit. Is tandem intra terminos diœcesis Leodiensis, locum inuenit, vbi in cauato lapide reconditæ erant reliquie beati Viti. Quo in loco dicebantur Hungari ecclesiam concremasse tempore Othonis, quam Baldricus tempore Caroli magni, reliquijs & redditibus velut sponsam pulcherrimam dotarat. Cognouerunt itaque Gero & beatus Sandradus, eo loci construendum esse monasterium. Quod Gero regalibus & Apostolicis priuilegijs munire laborauit

Cæterum eo mortuo, Vuarino suggestum est, Sandradum plus seruitij impendere episcopo Leodiensi quàm ei, nec desierunt obtrectatores, donec in locum viri innocētis surrogatus sit quidam Meginhardus sine consecratione. Tunc ille vincens malum, patientiæ bono, ad Adelheidem imperatricem secessit. Qua sollicitante ad cœnobium quod sibi primum quasi sponsam desponsarat, est reuocatus, sed oues inuenit dispersas,

*ad hunc
Argentan-
dum est
Vuolfshelmus
episcopus,
contra e-
rengarium*

Augusti 25.

NATALES

distracta prædia, libros, & reliquias. Et tamen sine murmuratione, tribulationibus velut aurum probatus, præcastigatum spiritum cælo reddidit. Vuarino successit Euergerus, qui cum nollet ædificari in parochia Leodiensi, Gladbacenses vocant Coloniam ad sanctum Martinum: iussit & reliquias deferri. Sed à sancto Vito in visione castigatus, vouit se locum primæuum restauraturum, & à Leodiensi episcopo redempturum. Vnde produabus ecclesijs *Gladbach & Royda*, dedit tres, *Ticglau, Ludbrach, & Venloe*. Trithemius vocat Sandradum abbatem sanctissimum, regularis disciplinæ, tam in se quàm in subditis, maximum cultorem, qui multis virtutibus & signis clarus in vita & post mortem, Sanctorum catalogo insertus est, cuius dies festus agitur nono Calendas Septembris. Sed posteriora Gladbacenses, qui corpus humi defossam habent, non agnoscunt, nisi eatenus quod anniuersarium eius festiuè celebrent: quodque à Deo sanctorum Catalogo inscriptum esse non dubitent: idemque in quibusdam libris priuata authoritate factum esse sciant.

In Chroni-
cis Hirsan-
gie, abbate
septimo.

In auctario
Vuardi Co-
lonie edito.

Vigesima quinta Augusti.

1^o. De S. Gregorio episcopo Ultraiectensi.

Ex ecclesiastica historia eius.

O Crauo Kalendas Septembris, sancti GREGORII, episcopi Traiectensis, atque confessoris. Qui fuit instructor sancti Ludgeri, episcopi Monasteriensis. Cum autem sanctus Bonifacius ad Hesos & Turingos iter agere cœpisset, peruenit ad Palaciolum, monasterium virginum prope

prope Treuiros, cui abbatissa Adula præerat. Et cum ad mensam sedissent, Gregorius puer alto eiusdem patriæ parentum sanguine procreatus, ex schola & palacio reuersus, ætatis suæ annum quasi decimum quintum agens, benedictione ab Episcopo accepta ad mensam legit. Cumque lectionem perlegisset, & Episcopus secundum proprietatem linguæ expositionem eius peteret, respondit cum verecundia se id nescire. Sanctus proinde Episcopus id fecit, & intantum cor pueri penetravit, vt relictis omnibus, amabilis discipulus magistro adhæserit, & ætate ac sapientia prouectiorem post se in Traiectensi ecclesia præe-
cit. Qui præfulatu suscepto post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris: ideoque stabilita sunt bona illius in Domino: & elemosynas eius diuulgat omnis ecclesia sanctorum. Nullum in eo locum inuenit superstitionis vestium & ciborum: nullum iactantia & detractio sermonum. In potu tantum erat temperamentum, vt vix vnquam aut modico vino vteretur, quod non esset aqua mixtum. Discipulorum verò multiplici benedictione ditatus, vehementer eos admonuit, vt ebrietatem velut inferni foueam vitarent: & de omni vitiorum destructione, virtutumque ædificatione frequenter eos hortabatur. Cumque talibus successibus ad septuaginta annorum ætatem peruenisset, tactus molestia corporali, quam paralysem Medicivocant, tribus annis ea detentus non destitit suis monita salutis æternæ erogare. Cumque ad extrema perduceretur, imbecillia eius membra candida facta sunt, vt foris videntibus innotesceret quàm mundus eius spiritus in oculis Domini existeret. Audiuit quoque contri-

Augusti 25.

N A T A L E S

stari circumstantes discipulos de electi filij eius Albrici absentia. Erat enim in Italia regali seruitio deputatus. Quibus dilectus pater dixit: Nolite timere: non transibo antequam ipse veniat. Quod factum est: & tertio post eius aduentum die, petita licentia abeundi, iussit se ante oratorium Saluatoris collocari: ibique oratione facta, & communione percepta, aspiciens ad altare, deuotus ad Dominum migravit, cui multo tempore fideliter seruierat. Hæc sunt quæ in sancti-viri ecclesiastica historia leguntur, quam sanctus Ludgerus episcopus eius ab infantia discipulus, conscripsit.

Est autem in Traiectensi ecclesia festi eius Collecta: *Deus qui largistua bonitatis consilio ecclesiam tuam beati Gregorij confessoris tui atque Pontificis, præclara vita meæitis decorasti: & gloriosis laudibus miraculis: concede propitius nobis famulus tuis, ut & ipse in melius reformemur exemplis, & ab omnibus eius patrocinio protegamur aduersis. Per Christum dominum nostrum.*

2^o. De sancto Eusebio martyre.

Ex gestis, & literis ex Arnhemio acceptis.

Romæ, natalis sancti martyris Eusebij. Cui Vitellius, eo quod à laude Christi non cessaret, linguam excindi iussit. Quam mox Faustus quidam collegit, & fugiendo latuit. Martyr autem lingua carens, laudes Deo loqui non cessabat. Quod priuilegium & alijs quibusdam martyribus commune fuit, qui excisis linguis, articulatum sunt locuti. Cùm autem loquentem sine lingua Vitellius obstupesceret, rem ad Commodum Imperatorem retulit. Eoque iubente san-
ctus

Stus Eusebius, & tres collega tam diu plumbatis sunt cæsi donec exhalarent spiritum. Corpus ex Prumia regali monasterio Arduennæ, remanente tantum membro cruris, deuectum est Arnheimum, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, vbi quiescit in sui nominis parochia, quæ Prumiensibus subest. Est autem Eusebij nomen Græcum, quod à pietate trahitur. Geldris dicitur *Sinte Sebis*. Et in natali die, qui est vigesimus quintus mense Sextili, corpus per ciuitatem circumfertur à quatuor sacerdotibus. Est autem Arnheimum Geldriæ secunda ciuitas, in diœcesi Ultraiectensi. Literatis Arenacum.

3^o. De S. Ludouico rege, domino Artesiæ.

Ex Horis Romanis, & Flandriæ historijs.

Parisijs sancti Ludouini confessoris, regis Franciæ. Qui duodecim annos natus, patre amisso, & in Blanchæ matris sanctissima disciplina educatus, cùm vigesimum annum attingeret, in morbum incidit; quo tempore cogitauit de recuperanda possessione Ierosolymorum. Quamobrem vbi conualuisset, vexillum ab Episcopo Parisiensi accepit, deinde mare cum ingenti exercitu traiiciens, primo prælio Saracenos fugauit. Sed cum ex pestilentia magna militum multitudo periisset, victus ipse captusque est. Rebus postea cum Saracenis compositis, liber rex exercitusque dimittitur: itaque Aconem profectus in ea Agarenorum vrbe, multos ad Christi fidem conuertit: præterea aliquot Christianorum vrbes refecit suis sumptibus. Interim mater eius migrat è vita: quare domum redire cogitur, vbi totum

Augusti 25.

NATALES

se dedit pietatis officijs: nam multa ædificauit & monasteria, & pauperum hospitia: beneficentia egentes subleuabat; frequens uisibat ægrotos: quibus ipse non solum suis sumtibus omnia supeditabat, sed etiam quæ opus erant manibus ministrabat: vestitu vulgari utebatur: cilicio ac ieiunio corpus assiduè affligebat. Sed cum iterum transmisset, bellum Saracenis illaturus, iamque castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia decessit in illa oratione: Introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Eius corpus postea Lutetiam Parisiorum translatum est. Ipse, clarus miraculis, à Bonifacio octauo in Sanctorum numerum est relatus.

Hæc autem inter Belgica recenseo, eo quod ex Brabantica Caroli magni stirpe auiam habuerit Elisabeth filiam sanctissimam Comitis Flandriæ & Hannoniæ, per quam ei obtigit magna Flandriæ portio, quam postmodum titulo Comitatus Artesiæ, Roberto fratri, qui in sancta terra occubuit, contulit. Sub huiusmodi autem ducibus magna multitudo Belgarum in castris Domini militabat: nam opera Harlemensium Guilhelmus Comes Hollandiæ sub hoc rege militans, Damiatam, quæ & Heliopolis dicitur, expugnauit.

Die vigesima septima Augusti.

De sancto Elmero, patrono Molhaniensi.

Ex literis domini Pauli Thonon, subprioris in Hastier.

Molhaniæ, natalis sancti ELMERI, episcopi & confessoris. Sed de hoc sancto patrono suo, &

suo, & ecclesiæ fundatione, nihil certi aut verisimile habent Canonici Molhanienses. Tumba sancti ostenditur, foris deaurata, sed omnino vacua. Nec quicquam de reliquijs superest, ob crebras bellorum incursiones, expilationes, & direptiones. Habitant enim in finibus Belgij, non procul à Mariæ burgo, duobus milliaribus à Giueto. Hoc vnum constat, ecclesiam ipsam vetustissimam esse, & in diocesi Leodiensi non extremum locum tenere. Vnde à Decano Decanorum Leodij fortassis aliqua de eo, & fundatione ecclesiæ eius cognosci possent, eo quod is omnium ecclesiarum Leodiensis diocesis fundationes conseruare dicatur.

Vigesima octaua Augusti.

De translatione beati Hermetis martyris Rothnacum

Ex Ordinario Rothnacensi, & rescripto domini Laurentij Backereel, Rothnacensis.

Romæ, natalis beati Hermetis. viri illustris, qui, vt in actibus Alexandri Pape legitur, à beato papa baptizatus, cum vxore & filijs, ac sorore Theodora, & cum eo pariter mille ducenti quinquaginta serui eius: vxores quoque & filij eorum, prius ingenuitate ipsis concessa: at non multo post gladio cædente, martyrium est adeptus. Huius corpus Lotharius Imperator Româ attulit, & ad tempus collocauit apud Aquigranum in sancti Cornelij monasterio, villæ Indensis alium locum honorificum præparans. Qui opere imperfecto Pruniæ monachus est effectus, & paulo post obiit. Filius autem Ludouicus, patris voluntatem adimplere volens, asportari fecit ad monasterium Canonicorum de Rothnake anno octingentesimo sexagesimo: ^a Habeturque eius loci fundator secundarius, primarius

*Actus Alexandri,
3. Maij.*

Augusti 29.

NATALES

rius enim iam ante fuerat sanctus Amandus, Danis autem sub Othone Dei casas incenditibus, beatus Hermes Indam est relatus. Vnde rebus ecclesie pacatis, Rothnacenses thesaurum hunc pretiosum recuperare nequiverunt, nisi summis cum molestijs, & interueniente Fulberto episcopo Cameracensi, de cuius parochia translatus fuerat. Fratresque Rothnacenses pro tanti beneficii recompensatione, libenter Cameracensi ecclesie obtulerunt villam *Nieuwen-houen*. De translatione sunt verba propriae ecclesie pridie Nonas Iulij. *Ipsa die, translatio corporis sancti Hermetis martyris in Rothnaco.* Hanc Chorus Canonorum celebrat: natalem verò totum territorium Rothnacense, quod etiam Rotornacum dicitur & Rothnasce, Flandricè, *Rons*. Fuitque olim abbatis Indensis, villa Brabantiae, diocesis Cameracensis. Sed diuenditum Guidoni Comiti, accessit Flandriae. Et à nupera multiplicatione episcopatum, transijt ad limites nouae Sedis Mechliniensis. Locus autem est celeberrimus, eo quod multi peregrini male affecti, ad S. Hermetis memoriam aduentent, & frequenter restituti ac sani discedant. Caeterum reliquiarum aduentum refert Sigebertus ad annum octingentesimum quinquagesimum primum. In vetusto quodam Martyrologio annotatum obseruaui quarto Idus Ianuarij aduentionem S. Hermetis martyris apud Indam. Quod an de primo, an de secundo aduentu accipiendum sit, ignoro.

a. *Vide Mey. eo anno, & Chron. Cameracense lib. 1. c. 75.*

Vigesima

Vigesima nona Augusti.

*De sancta Verona virgine.**Ex informatione accepta ad diuam Veronam, ac alibi.*

IN territorio Louaniensi, natalis VERONÆ virginis beatæ. Hæc quiescit inter Louanium & Furam, in ecclesia sanctæ Crucis, quæ modò dicitur ad sanctam Veronam, iam pridem in Cameracensi, nunc in Mechliniensi diœcesi. Natalem habet in die decollationis Baptistæ, quem etiã in lacero Missali in^a Egenonis curia antiquissimis characteribus, sequentibus verbis notatum obseruauit: *Verona virginis beatæ in ecclesia sãctæ Crucis.* Non est tamen, præter morem Gallicanæ ecclesiæ, ex humo eleuata, sed in medio ecclesiæ sepulcrum virginis frequentatur, & extra ecclesiam fons eius contra febres potatur. Vidi de ea proprium officium in Lembecana S. Veroni fratris sui ecclesia, vbi à plebeis Veronica nominatur.

a Teutonice, Eegen-houen.

Die trigesima Augusti.

*De sancto Agilo, abbate Resbacensi.**Ex Vita sancti Audoëni, ac aliunde.*

Resbaco monasterio cognomento Ierusalem, sancti Agili, eiusdem loci abbatis, qui multis virtutibus claruit. Habitauit extra Belgium in diœcesi Meldensi, intra Brigensem saltum, ad fluuiolum

Septemb. 1.

NATALES

S. Audoëni
vita, 24.
Angl. ca 7.

fluniolum Resbacem, vbi sanctus Audoënus cognomento Dado, dum adhuc esset auricularius & referendarius regis Dagoberti, monasterium construxit, quod Ierosolymam dici voluit, cui abbatem præfecit sanctum Agilum, accitum ex almi patris Columbani Luxouienti monasterio, virum in disciplinis regularibus apprimè eruditum. Cui in Domino obdormienti successit discipulus Philibertus. Hunc Bertinenses inter suos sanctos celebrarunt, vsque ad acceptationem Romani Breuiarij, officio communi, nisi quod octanum responsum proprium fuerit.

Virtutum forma, vitæ rectissima norma,

Agile dulcis amor, tu pastor sanctus & abbas,

Virginitate tua nos ablue, nosq; perorna.

Cuius facti aliam causam non imaginor, quàm quod Bercinus & Bertinenses sæpius eius consilio & authoritate vsi sint, & eum veluti patrem suum abbatem venerati sint, cum Luxouiente primarium professionis cœnobiū lōgius distaret.

Cap. 34. Huius tamen nulla mentio est in Chronicis Bertinensium Ioanne Iperio auctore, sed mentio ingeritur Agilonis monachi sancti Apri Toletani: (Pro quo legendum suspicor Tullani. Aper enim Tullensis fuit episcopus.) Is autem vicarius fuit sancti Gerardi in regimine monasterij sancti Bertini, non tamen sub nomine abbatis.

Dominica prima SEPTEMBRIS.

De supplicatione ciuitatis Louaniensis.

Ex archiuis Louaniensium, ac aliunde.

LOuanij in Basilica sancti Petri, solennitas recollectionis festorum beatissimæ Virginis Dei